



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. II. Quid sit Vbicatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

frā, non locum realem; sed spatium imaginarium respiciunt.

2 Difficultas est, quare iste locus dicatur immobilis; nam vas potest moveri localiter, potest item & aer ac terra in quā ego sum ut in loco, item aqua in quā continentur pisces ut in loco. Fusē in præsenti nonnulli recentiores aliorum explicationes referunt, & refutant, & tandem ipsi concludunt, ab Aristotele locum continentem dici immobilem, non quia absolute immobilis sit, sed quia potest manere immotus, etiam si corpus in illo contentum mutetur, ut potest dolium manere immotum, etiam si ab illo extrahatur vinum, quod erat in ipso ut in loco. Res est parvi momenti, & in quā diuinatur potius circa mentem Aristotelis, quam aliquid certum dicatur; præcipue cum videatur improprius modus loquendi, vocare aliquid immobile, eo quod licet possit moveri, non tamen necessario mouetur ad motum alterius: imò, etiam ipsa res vbiata potest manere immota, licet superficies moueatur, v. g. homo, licet aer ambiens moueatur; ergo in hoc sensu non magis ipsa superficies, quam corpus contentum est immobile. Quæstio est, ut dixi, de solo nomine, & forte illa particula est superflua, vel solum definiuit Aristoteles terram, quæ tota absolute est immobilis, & in quā omnes aliæ res locantur. Nam, quod alij dicunt, *ut immobilem* significare ipsum locum realem coniunctum cum suis vbiacionibus, quia ut sic est immobilis, omnino displicet; quia licet verum sit, me v. g. quatenus sum sub sessione, non posse moveri, non tamen absolute propterea dici possum immobilis. Et ratio est, quia eiusmodi prædicatum non cadit proprie supra vbiaciones, sed supra subiectum illarum quod solum importatur in recto, iuxta dicta à nobis in Summulis de Concreto accidentalibus; rectum autem huius concreti absolute est mobile, etiam si obliquum, scilicet vbiaciones immobiles sunt. Adde, etiam in hoc sensu corpus ipsum contentum esse immobile, quod est contra intentum Aristotelis.

Aduerte, quando dicitur, terminum productum per motum localem esse locum, non intelligendum de loco ipso reali, scilicet de aëre aut de terrā, quia hæc non producit per motum localem, ergo intelligitur solum ipsa præsentia ad locum, quæ etiam aliquando dici solet locus, ipse autem locus extrinsecus & realis solum est id cui per præsentiam localem reddimur præfentes.

4 Aduerte deinde ex dictis, Cælum empyreum non esse proprie in loco reali, quia extra ipsum non est aliquod corpus reale in cuius superficie ipsum contineatur, quia supra cælum empyreum nihil est aliud nisi Beati, qui non sunt locus cæli, sed potius ipsi sunt in cælo ut in loco reali. Potest autem ea parte quā ad terram respicit, dici esse in loco, iuxta alios cælos.

SECTIO II.

Quid sit Vbiatio.

NOMINE Vbiacionis intelligimus formam illam, à quā Petrus v. g. habet esse hic potius quam Romæ aut Parisiis: & de hac inquiri-

mus, utrū distinguatur ab ipso Petro, & à loco cui est præfens, & quid ea sit.

SUBSECTIO PRIMA.

Distinguitur.

CONCLUSIO sit, Vbiatio distinguitur realiter à Petro, à loco reali & imaginario, cui est præfens. Hæc est sententia omnium, quotquot ex Societate impresserunt, vno forte aut altero excepto; in manuscriptis verò ferè ab omnibus defenditur. Pro eā etiam stant Thomista & alij. Suadetur autem argumento facilius repetito, quia hæc omnia possunt existere in rerum naturā simul, quin Petrus sit hic; ergo illum esse hic, aliquid est distinctum ab ipso & à loco reali & imaginario. Consequentia est certa. Antecedens probatur, quia quando Petrus est Romæ, existit Petrus in rerum naturā, existit item hic locus realis, id est, hic aër, hæc terra, &c. & hoc spatium imaginarium, & tamen Petrus non est hic, ergo illum esse hic, aliquid est separabile ab illis tribus rebus, debet ergo esse aliquid distinctum; quia nihil potest esse realiter separabile à se ipso.

Disputatione IV. à num. 5. agens de Vnione, insinuaui varias solutiones, quibus aduersarij simile argumentum deludere solent, dedi que ibi consilium, quomodo contra illos agendum sit. Iam autem, quid in his dicant, breuiter insinuo. Primò respondent, vbiacionem meam hic nihil esse aliud, quam indistantiam mei ab hoc loco. Sed contrā, quia hæc indistantia est aliquid separabile à me & à loco, ergo est entitas aliqua realis.

Dicunt rursus, hanc indistantiam nihil aliud esse, quam non posse inter me & locum aliquid aliud interponi. Sed contrā in primis, quia duæ superficies corporum se tangentes non admittunt inter se corpus interiectum, & tamen vna non est vbi est alia, id est in loco alius, ergo esse in loco, non est proprie, nihil posse inter corpus & locum interponi. Secundo, quia de hoc ipso est difficultas: nam inter me & locum non posse interponi alia corpora, est aliquid separabile à me & à loco, quia ambo possumus manere in rerum naturā, non causantes formaliter hanc incapacitatem; ergo fundamentum illius est aliquid separabile ab utroque, hoc autem est ipsa vbiatio.

Dicunt vltimò, me esse hic, nihil esse aliud, quam me & hoc spatium esse simul. Sed contrā, quia possumus ambo existere eodem instanti in rerum naturā, & tamen non esse simul, ergo esse simul aliquid est ab utriusque substantiā collectiue sumptā distinctum.

Adhuc dices, illud esse approximationem ipsius Petri huic loco. Sed contrā, quia possunt illa tria existere sine approximatione Petri, ergo ea approximatō est distincta ab omnibus illis, hanc autem voco ego vbiacionem.

Tandem respondebis, vbiacionem Petri in hoc loco, esse Petrum prout hic. Sed contrā quia *ut prout hic*, potest separari à Petro, ergo est aliquid ab illo distinctum; illud autem erit vbiatio. Ergo ut omnes istas solutiones vnā vice funditus euellas, & ne toties clamando defatiges caput, simul sic arguas: Me esse hic, seu esse ap-

Nn

proxi-

proximatum, seu non distare, seu esse simul localiter, seu non esse intercapedinem inter me & locum, seu quaecumque alia vocabula inuenieris quae repetas, est aliquid separabile realiter ab existentia vtriusque, spatij scilicet & mei; ergo est aliquid distinctum: hoc autem dico esse vbi seu vbicationem.

Fortè intrabis aliam viam, & dices, me esse hic, esse quidem aliud, sed negatiuum, nempe carentiam distantiae. Sed contrà, quia tunc infero euidenter, ergo distantia est aliquid positium; distantia autem est vbicatio. Contrà deinde, quia quid magis habet distantia, vt sit positium, quam approximatio? Constat ergo, me esse hic, esse aliquid positium superadditum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Amplius eadem veritas declaratur.

Quia doctrinam hanc claram & euidentem conantur aliqui omnibus modis deludere, oportet parum hic gradum sistere, & rem diligentius examinare.

Nonnulli viri docti & eruditi, benè agnoscen-
8 tes, non posse dari denominationem aliquam nouam realem, sine mutatione noua reali, vt explicarent quid sit me esse in hoc loco, quod iam ego de nouo acquiro, dixere, esse negationem corporis interiecti inter me & istum locum.

Hanc solutionem, quam olim etiam proposueram & impugnaveram, & paulò antè reieci nomine *indistantia*, fusiùs nunc reiciam, ne puter quis, se per eam euadere posse. Primò ergo argumentor: Quia hi Auctores non possunt per eam explicare, in quo differat vnum corpus esse alteri contiguum, ab hoc quod est esse cum illo penetratum, quae tamen duo valde sunt diuersa, & separabilia inter se. Sequens autem probò euidenter, quia inter corpora contigua tam non potest interire aliud corpus, quam inter corpora penetrata; ergo in negatione intericiuitatis ambo conueniunt: iam ergo, quid erit speciale in penetratione? non enim potest ibi vlla noua negatio inueniri.

Dices, Penetratio consistit in hoc, quòd vnum sit intra aliud. Sed contrà, quia hoc ipsum quaerimus, quid sit de nouo, seu vnde proueniat ista denominatio noua. Non potest autem ab aliquo positum, quia illud negas; non à negatiuo, quia non est aliud nisi corpus intericiubile, hoc autem iam negabatur per contiguitatem: ergo vel penetratio aliquid positium addit, quod ego dico Vbicationem, vel planè non distinguitur à contiguitate, quod est euidenter falsum.

9 Secundo impugnatur euidenter in rebus spiritualibus: nam rogo, cur Angeli sunt praesentes corporibus, vel caelo (idem est de animà respectu mei corporis.) Non per negationem corporis intericiuibilis, nam pone Angelum supra murum, non verò penetratum, tunc potest in eodem loco in quo est Angelus, aliud corpus existere, ergo Angelus non potest in loco existere per negationem corporis intermedij. Confirmo & explico argumentum: manentibus omnibus corporibus eodem modo inter se approximatis, & nullà factà in eis mutatione, Angelus potest intrare & exire ab hoc cubiculo; rogo ergo, quando intrat, quod corpus negatur quod antè non negaretur, aut

quae interiectio corporum, quae antè non esset: planè nulla: ergo Angelus non fuit ibi positus per negationes corporum, aut interiectionis illorum.

Respondetis, Angelum existere in loco per operationem. Ita Thomistae respondent. Sed hanc solutionem in materia de Angelis reieci manifestè, Primò, quia Angeli in caelo nihil physicum operantur in ipsum caelum, vt sint illi praesentes, solum enim Deum vident, quod & hic posset eodem modo fieri; recurrere autem ad nescio quos impulsus aut qualitates impressas caelis, aut ignes ibi excitatos, planè est ridiculum; & dum hi velent negare modos, recurrerent ad multò plures qualitates alias positivas, qui esset error peior priore. Secundo impugnatur ea solutio, quia Angelus non idè est in corpore, quia operatur in illo, sed idè potest operari in illo, quia est indistans ab illo; approximatio enim non fit ab operatione, sed operatio pendet ab approximatione vt à conditione, iuxta omnium sententiam; vnde Angelus non potest in hoc instanti esse hic, in sequenti verò instanti in caelo, quod posset, si solum fieret praesens per operationem: non enim tenetur operari in medio. Idè etiam Angelus posset simul occupare vnam leucam spatij vt g. non potest tamen, in omnium ferè sententià, solum manere in duobus illius angulis, & non in medio; si autem esset praesens per operationem, quid quaelo obligaret Angelum existentem in toto hoc cubiculo, vt in toto medio operaretur? aut cur non posset, si vellet, solum in duobus angulis mouere duos lapides? Hae & alia multa eo loco de Angelis attuli, ostendens, non posse Angelos esse in loco per operationem, ergo sunt per Vbi positium, quia negatio nulla apparet, per quam existere possint hic; neque aliquid aliud est exco-
gitabile, vt benè hi qui ad hanc intericiuitatem confugerunt, notant. Et aduerte, hos etiam negare operationem distinctam seu actionem, vnde mirabiliter vbicationem per operationem, quae nihil est distinctum, explicant, & semper vnum per aliud declarant, cum vtrumque nihil sit.

Secundo respondetis, Angelum esse in loco quia vult, est enim liber ad ponendum se hic vel ibi. Sed contrà euidenter, quia ego non quaero iam, quae sit causa efficiens vbicationis, sed quid ipsa vbicatio sit; idè quaero, quod sit obiectum illius voluntatis quae dicit, *volo esse hic*. illud autem non est ipsamet volitio, aut libertas voluntatis, ergo per hanc solutionem nihil planè explicatur.

Hinc etiam alios reicietis, qui diffidentes omnibus his negationibus & terminis distantiae, indistantiae, &c. recurrerunt ad diuersos Dei actus, ex quibus dixerunt prouenire, me esse hic positum quam illic. Reicietis, inquam, quia illa voluntas Dei habet pro obiecto me esse hic, ergo me esse hic, non est ipsa voluntas Dei, sed quid ab ipsa voluntate & volitum & etiam causatum. Falso-
rem similis solutionis impugnationem inuenies infra, dum de Duratione agetur, Disputat. xv. à num. 15.

Tertio principaliter primam solutionem impugno: nam pro priori natura, antequam ego sim hic & Petrus iuxta me, concipiuntur & sunt in rerum naturà Petrus, ego, & spatium. Quaero iam, pro posteriori natura, quid positium de-
struat

Aratur in me & in Petro, ratione cuius in vitroque possit vera negatio resultare. Planè nihil est excogitabile, quia omnia & sola positiua, quæ sunt pro posteriori, fuere in priori, & à nullo positiuo præseindebatur in priori naturæ quod iam negetur; ergo repugnat, in me & in Petro tunc resultare vllam veram negationem.

Dices: Resultat negatio, me esse hic. Sed contra, quia de hoc quæro, & probo argumento factio, nihil esse: nam per hoc quod sum hic, in tuâ sententiâ nihil positiuum amplius habeo quam si non essem; neque, si essem alibi, & non hic, carerem aliquo positiuo. Et idem est in Petro respectu suæ vocationis. Ergo non potest in posteriori esse aliqua negatio, quæ non fuerit in priori naturæ: non enim hic se res habet sicut in omissione purâ liberâ, vbi in posteriori naturâ habeo carentiam, quam in priori non habui, quia actum positiuum quem potui habere, neglexi. At si nihil positiuum neglexissem, non posuissem in secundæ priori naturæ habere negationem, quam non habuissem in priori.

13 Quod sic argumentor ex doctrinâ, quam in hac materiâ sæpe tradidi, & fieri posse ostendi contra P. Monacum, scilicet, posuisse alium mundum huic contiguum produci, vnde intuli, Deum tunc potuisse vtrique locum mutare, hunc ponendo in loco alterius, & illum loco huius; quod lumine naturæ videtur manifestum, nec puto ab his negandum. Iam ergo hinc evidenter argumentor contra prædictam solutionem: Eadem planè negatio intericibilitatis corporum esset, & omnia corpora hæc inter se eodem planè modo contigua & vicina, si hic mundus transferretur aliò ad locum alterius mundi (de quo paulò antè) & ille hic; & tamen tunc non haberet hanc denominationem realem, quam iam habet, existendi in hoc loco imaginario correspondenti huic mundo: & de toto ipso mundo facio idem argumentum, illa fuisset mutatio realis duorum mundorum, & non fuisset noua negatio corporis intericibilis, vt per se patet; ergo debuit fieri per positiuum aliquid in eis productum de nouo.

14 Nec video quid hic possit responderi, nisi negando illam mutationem, quæ tamen euidentissimè ostenditur possibilis. Confirmatur, quia sicut vnum corpus habet denominationem realem existendi hic, ita totus orbis est in loco, & potuit alibi esse, ergo habet vocationem distinctam; hæc autem non est negatio intericibilitatis, ergo debet esse aliquid positiuum.

SUBSECTIO TERTIA.

Aliis argumentis impugnatur ea solutio.

Q VINTO ratione à priori eam solutionem impugno: quia ea negatio intericibilitatis si debet esse negatio realis, debet negare terminum realem: atqui nullum planè negare potest, ergo non potest esse talis negatio, nisi dicas, esse negationem realem negationis, quod est ridiculum. Minor ergo, in quâ est difficultas, sic clarè ostenditur: quia intericibilitas alterius corporis, quæ negatur, est existentia alterius corporis hic; illa autem intericibilitas dicit tria, duo positiua, scilicet substantia corporis, & loci realis; & negatione alterius intericeti: atqui ea duo positiua non negantur de nouo in rerum naturâ, manent enim

secundum totum positiuum eodem modo in rerum naturâ, quo antè; ergo solum potest negari illud tertium, quod acquirit de nouo corpus: atqui illud est sola negatio, ergo sola negatio negatur. Confirmo & explico euidenter: quando ego ponor in loco Petri, nihil reale positiuum existit de nouo in rerum naturâ, sed sola negatio Petri hic; ergo in me sola negatio fuit acquisita. Expellat iam me Petrus è loco, & ponat se in illo, solum aufert à me illam negationem quam paulò antè ego habebam, ergo Petrus solum acquisiuit negationem meæ negationis, ergo solum fuit positus in loco de nouo per negationem negationis. Confirmatur: Petrus me expellens è loco, acquisiuit quod ego antè acquisiueram, seu quod in me nouum erat; atqui sola erat de nouo negatio, ergo hæc sola per positionem Petri fuit destructa, ergo positio Petri in hoc loco solum fuit negatio mei in illo, ergo negatio negationis.

Respondebis, hoc argumentum probare euidenter intentum, si positio mei in hoc loco sit sola negatio, at cum illa positio dicat tria, illa omnia negantur per hoc quod Petrus sit in hoc loco. In hac solutione duo confunduntur, quæ oportet valde distinguere, non solum in hac, sed in omnibus ferè materiis: aliud enim est, perire totum in ratione totius, & negari totum in ratione totius; aliud verò, negari omnes partes quæ illud componebant, homo v. g. est materia & anima cum dispositionibus (loquor in sententiâ horum contra quos ago, in meâ enim est materia & anima vnitæ inter se) ita vt homo non sola sit anima, nec sola materia, nec solæ dispositiones, sed aggregatum quoddam ex illis tribus; sicut per te, præsentia mea in hoc loco, est mea substantia, substantia loci, & ea negatio. Iam ergo sic argumentor: Quando ego dico, Petrus iam non est, vel non existit, vel perit, vel datur negatio illius, non nego dari materiam primam illius, nec nego dari animam, sed nego dispositiones, quæ solæ in re perierunt, & ex quarum præcisè defectu perit denominatio hominis, eò quod denominatio tria dicebat; vno autem solo absente, denominatio perit. Idem est in omnibus denominationibus absolutis & connotatiuis, quæ ex duabus rebus componuntur: vnâ enim tantum ex illis perente, aliis verò manentibus, & consequenter non negatis, perit denominatio. In quo malè hi putant, diuersum quid esse de hac denominatione, quam de denominatione albi, sapientis, calidi, &c. hæc enim denominationes etiam dicunt subiectum vt partem, sola enim albedo non est album, ergo sicut negare me esse album, non est negare me, sed solam habitationem, vt sic dicam, albedinis, ita in præsentia. Sic etiam denominatio patris perit solo pereunte filio, nec licet datur negatio denominationis patris, quæ omnia dicebat, propterea eo ipso datur negatio aliarum partium, sed vnus tantum quæ perit. Vnde in productionibus & destructionibus semper solet distinguere ab omnibus bonis Philosophis, terminus formalis productus vel destructus, & terminus denominatiuus seu totalis: vt in Eucharistiâ aggregatum ex Christo & speciebus consecratis, est terminus totalis seu denominatiuus, formalis verò solus Christus, qui in re producit, species verò non sunt formalis terminus, quia in re non producuntur. Ego autem in præsentia non sum

sollicitus de termino totali, seu denominatio negato, sed de formali, quem contendo esse puram negationem. Quo posito, sic evidenter arguitor. Et quidem fateor, admittoque libenter, denominationem *me esse hic*, dicere tria; item, quando ego desino hic, perire hanc denominationem *mei hic*: sed cum tunc duo positiua non pereant, sed solum illud tertium, scilicet ea negatio, & denominatiue ab ea dicitur arguere denominatio *mei hic*, evidenter fit, terminum formalem negatum, quando Petrus habet negationem mei ut existentis in loco ipsius, solum esse negationem illius ultimi & tertij, quod spatio Petri & mihi deat ut essent ibi. At solum deat mihi negatio ut essent ibi, ergo solum Petrus est ibi, quia negat id quod mihi deest ut sim, ergo quia negat meam negationem, ergo existit per negationem negationis. Ex hac tam clara doctrina argumentum breue in forma, sed his terminis conficio: In Petro existente hic de nouo, solum est de nouo negatio eius, quod me expulso in me verè perit: atqui in me solum perit negatio, quia illa sola destructa est, cetera manserunt; ergo Petrus solum acquisiuit negationem mea negationis, ergo solum est in loco per negationem negationis, quod contendo.

20 Confirmo, hoc argumentum principio quodam evidenti. Repugnat, dari de nouo in rerum naturâ nouam negationem, nisi de nouo sit destructus terminus aliquis positiuus: atqui per vocationem mei hic, nullus terminus positiuus est destructus in rerum naturâ, ergo non fuit de nouo in rerum naturâ noua negatio. Consequentia est evidens. Minor ab aduersariis docetur: sicut enim, quia ego ponar hic, nihil positiuum producit, ita & quia desinam esse hic, nihil positiuum in me perit, nec in Petro de nouo datur. Maiorem autem clariùs adhuc probo, quia vel illud positiuum, quod iam de nouo negatur, erat antea in rerum naturâ, vel non; nec datur medium. Si erat, & iam est negatio illius, ergo iam de nouo aliquid positiuum cessat; si verò antea non fuit, ergo antea etiam fuit negatio illius, ergo non est iam de nouo ea negatio, ergo repugnat in terminis, esse de nouo negationem aliquam in rerum naturâ, nisi de nouo sit destructum aliquid positiuum: nihil autem positiuum destruitur per hoc quod ego sim hic, aut expellar hinc, ergo neque quia de nouo sim hic, vel expellar hinc, habeo de nouo negationem aliquam rei positiua. Hæc est euidentissima probatio huius intenti.

Confirmatur Secundò, quando aliquod totum dicitur duas partes positiuas, & tertium aliquid negatiuum, si manentibus in rerum naturâ duabus positiuis, sola negatio pereat, tunc non potest de nouo intelligi, nisi negatio sola illius negationis, quæ sola in eo toto perit. Et hæc propositio est ex terminis nota. Atqui tu ipse doces, in hoc toto, seu in hac denominatione *mei existentis hic*, duo positiua dici, scilicet meam & spatij entitatem, & vnum negatiuum; & quando ego cesso esse hic, solum cessare in rerum naturâ illud negatiuum; ergo solum est de nouo in rerum naturâ cessatio seu negatio illius negatiui vel negationis; ergo per hoc quod Petrus iam de nouo dicat negationem mei existentis ibi, quam antea non dicebat, solum dicit negationem illius negationis

quæ in me perit, ergo solum includit negationem negationis, prout intendo.

Sexto impugno eam doctrinam, quia in ea explicatur vbiatio per circulum valde viciosum, & ex quo nihil planè intellectus percipit. Dicitur enim, *me esse hic*, est nullum alium esse hic; & rursus, *alium esse hic*, est, me non esse hic. perinde ac si quis diceret, Quid est hominem esse calidum? & responderetur, Non esse frigidum. & rursus, Quid est, esse frigidum? & responderetur, Non esse calidum. vbi intellectus, quia nulli figit pedem, tam nihil planè post vtramque declarationem noscit, quàm antea.

23 Dices: Non est mirum, id ita explicari, quia non est possibile aliter declarare. Sed hoc est bene lepidum! ego id clarissimè explico per vbi positiuum, ergo iam est possibile. Fateor, in tuâ sententiâ non potest aliter declarari, ac propterea meum argumentum habet vim contra illam, quia te reducit ad explicationem, quæ in omnium sententiâ & in omnibus materiis est vitiosa.

Ne autem aliquibus exemplis non bene adductis vim tam clari argumenti retundi permittas, Aduerte, aliquando à nobis multa explicari per negationem. Sic irrationalitas bruti explicatur per negationem: sic impenetrabilitas per negationem; sic mors, sic tenebræ, sic infinita alia: in his tamen semper ponimus vnum aliud extremum positiuum, per cuius negationem aliud declaratur, quodque non declaratur rursus per negationem prioris totius. Rationale v.g. declaratur per principium discursus: ecce ibi ngitur per, non fit mentio vlla bruti. cogniti autem rationalitate, bene dicimus, quia positiuam rationem communem solis brutis, non agnoscimus, *brutum est animal ratione carens*, Idem est in aliis exemplis adductis. At, si quis diceret, *brutum est animal quod non est rationale*, & *rationale est animal quod non est brutum*, in re vera diceret, & daret etiam vnam explicationem continentem positiuum, scilicet *animal*, & negatiuum, scilicet *non est rationale*, sicut hi dant in præfenti materiâ de Vbi, (est enim hoc clarissimum & simillimum exemplum:) at quis non videt, quàm male tunc ea definitio traderetur, & excepto conceptu animalis, qui in vtroque est positiuus, quàm parum de differentiâ & de negatione illâ percipitur. Certè vel solo hoc exemplo res tota euidenter declaratur.

Septimò arguitor: Quia *me esse hic*, est causa expellens formaliter hinc alia corpora, sicut frigus expellit calorem, ergo prius naturâ est *me esse hic*, quàm alia corpora expelli hinc; ergo ego non sum hic neque inaduatè per expulsionem aliorum corporum, sed per aliquid positiuum, & antecedens expulsionem; sicut calor, quia est causa expellens frigus, idè non constituit in carentiâ frigoris, sed in aliquo positiuo, petente ne ibi sit frigus. Idem est in odio & amore, & in omnibus formis contrariis.

Fortè respondebis: *me esse hic*, non esse causam ne alius sit hic, sed esse formalissimè ipsum non esse alterius hic, sicut lux est ipsum non esse tenebrarum, & tenebræ ipsum non esse lucis. Sed hæc solutio manifestè reiecitur, quia duo vbi duorum corporum in eodem loco, non opponuntur contradictoriè ut lux & tenebræ, sed contrariè; quod vel inde euidenter constat, quia lux & tenebræ

tenebræ nec diuinitus simul esse possunt; duo autem ubi duorum corporum in eodem loco possunt esse simul diuinitus: & omnibus corporibus, quæ sunt in hoc cubiculo, planè immutatis, potuit Deus hic intrus nouum aliquid ponere, ex cuius positione nulla negatio noua formaliter nec consecutiue orta esset, sed cetera omnia sicut antea mansissent: ergo vna vbicatio solum contrariè alteri opponitur, non contradictoriè formaliter. Atqui inter contraria, ingressus vnus est quid distinctum ab expulsiōe alterius, petens tamen naturaliter eam expulsiōem; ergo me esse hic, est aliquid prius naturā, quā aliud expelli, vt in exemplo frigoris & caloris; ergo non constituitur hic neque inadæquatè per eam expulsiōem, sed per aliquid illam antecedens.

28 Octauo impugnatur ea doctrina, quæ in eā non potest intelligi, quomodo aliqua causā efficiens possit me hic ponere: non enim tunc producit me, nec locum; negatio autem tertia quæ superadditur, non producit in se, quia est nihil, nec refultat necessariò ex duobus illis positiuis. Secundus autem modus, quo negatio produci potest, locum hic non habet, scilicet, cessando à conseruatione alicuius positiui: nam, qui me posuit hic, in me, vt patet, nihil positiuum destruxit, neque etiam in Petro hinc eiecit, quia ab illo solum abstruit negationem, positiua omnia in rerum naturā reliquit. quomodo ergo causā efficiens potuit in me producere negationem, nihil positiuum in rerum naturā destruendo? Certè quilibet rem hanc euidenter agnosceret esse imperceptibilem, quia non est aliud modus producendi suo modo negationem, ab his enumeratis.

29 Hæc omnia argumenta, etiam seorsim accepta, manifestè offendunt intentum; simul autem sumpta, negari nullo modo potest quin ostendant, difficillimum valdè & planè imperceptibile esse, sine positiuā entitatem per eam negationem interuicibilis vbicationem explicare. Sed demus, esset vtrumque possibile id declarare, quis negabit, in nostrā sententiā multò clariùs & sine difficultate aut molestiā totam rem intelligi? Insuper, vnicum tantum esse contra nos leuissimum argumentum, non multiplicandi entitates sine necessitate. Cur ergo propter hoc vnicum (congruentiam potius dixerim, quā argumentū) debet homo se conicere in eas angustias negationis negationum, & in omnes alias difficultates, in quibus, etiam si fortè respondeat quis, non tamen plausibiliter aut intelligibiliter. Ego 30 certè hoc semper habui ingenium, vt res Philosophicas & Theologicas quā maiori possum claritate & facilitate defenderem, quando ratio aliqua euidentis non me cogit intrare obscuram aliquam viam: & malo in aliquā re philosophicā discurrendo clarè & consequenter, inuincibiliter errare, quā casu tangere veritatem, ita tamen vt nec intelligat, nec tatis faciam aliis. Vnde fortè licet hæc & similes difficultates sine modis in re ipsa saluentur aliquā viā nobis incognitā, quādo tamen eam viam non clarè video, nec percipio, malo in re errare eos ponendo, quā semper per præcipitia in omnibus argumentis discurrendo rem casu, vt paulò antè dixi, tangere, non tam motus veritate ipsā, quā congruentiā illā, non sunt multiplicanda entitates sine necessitate; quali

angustia, ad quas hi rediguntur, non sint satis magna necessitas. Quæ clariùs etiam constant ex præcedentibus & sequentibus materiis, de Actione, Duratione, Subsistentiā, Vnione, &c.

SUBSECTIO QUARTA.

Absurda quadam responsio reiecitur.

DIFFIDENTES meritò prædictis responsionibus nonnulli alij, quibus alrè infedit omnes negare modos, vt responderent argumento à nobis num. 4. facto, dixerunt, spatium imaginarium nihil aliud esse quā infinitas Dei virtualitates, quibus correspondet infinitis corporibus possibilibus. Vnde concludunt, me esse hic, nihil esse aliud, quā me produci ab eā virtualitate Dei, quæ correspondet hic; & Petrum esse Romæ, nihil esse aliud, quā eum produci ab eā virtualitate Dei, quæ correspondet Romæ. Sæpè dixi, valdè esse miranda eorum ingenia, qui nihil clarè volunt intelligere, sed rem in se facilem per difficillimas tantum intelligunt. Nihil ita humano intellectui difficile, quā concipere in vnā eademque indiuisibili entitate reali duas virtualitates, ratione quarum ei entitati conueniant prædicata contradictoria. Ex quo capite mysterium SS. Trinitatis omnem humanum captum excedit, quomodo scilicet eidem indiuisibili entitati, Filij v.g. conueniant produci secundum personalitatem, non verò produci secundum essentiam; hæc enim prædicata contradictoria videntur esse propria rerum realiter distinctarum, vt sæpè dixi. Iam autem hi Auctores totam hanc difficultatem transferunt sine necessitate ad immensitatem Dei, & in vnā eademque indiuisibili entitate dant vnā virtualitatem quæ sit Romæ & non Pragæ, aliam quæ sit Pragæ & non Romæ, & hoc à parte rei: verè enim & realiter illa virtualitas non est hic ubi est alia, id est non respondet nobis iam ea virtualitas quæ responderet Romanis, quo nihil absurdius dici potest. Imò non solum in Deo, sed etiam in Angelo, in animā rationali, & omnibus illis rebus quæ cum in se sint indiuisibiles, possunt tamen occupare locum diuisibilem: debet enim in animā esse vna virtualitas quā sit in pede, alia quā in capite, & quidem vna separabilis ab alterā; nam, abscisso pede, peritea virtualitas & altera manet. Vnde, vt sæpè dixi, hi Auctores dant nobis euidentissimum argumentum, vt dicamus, omnes res creatas esse inter se vnā rem indiuisibilem, & solum diuersas virtualitates, ipsosque Auctores, & lapides, aut arbores, vel truncos, esse idem realiter, diuersas tamen formalitates, quarum vna sit Pragæ, altera in Poloniā, altera Romæ; vna discurret, altera non, &c. quæ quis non videat esse Philosopho indigna?

Secundò argumentor adhuc fortius, Easdem virtualitates, quas in immensitate ponunt hi Auctores, ponunt etiam in æternitate Dei, & diuersam eam quæ fuit heri ab eā quæ est hodie. Vnde argumentor euidenter: Vel illa virtualitas (quæ, vt sic, est quid reale, licet non realiter distinctum à Deo) manet realiter hodie, vel non. Si non manet, ergo realiter Deus amisit hodie aliquid reale quod heri habebat, quod est hæreticum; sequitur enim, Deum intrinsecè mutari, acquirere

retere & amittere aliquid intrinsecum identifi-
catum cum ipso. Nec euades, si dicas, etiamsi illa
virtualitas nō maneat, nihil reale propterea amit-
ti, quia illa virtualitas non est realiter distincta;
hoc, inquam, non satisfacit, quia aliud est, eam
esse quid reale, aliud, esse quid realiter distin-
ctum. Primum est verum, etiamsi secundum
falsum sit: sicut aliud est, querere an intellectio
diuina seu Paternitas sit aliquid reale, aliud verò
querere an sit quid realiter à Deo distinctum.
Sicut ergo, si amitteret Deus hodie intellectiōē
aut Paternitatem, amitteret aliquid reale; ita si
amitteret eam virtualitatem, amitteret aliquid
reale, & singulis momentis & instantibus habe-
ret eam mutationem. Nec secundò euades, si ad
actus liberos Dei confugas, dicasque eos esse
virtualitatem quamdam quæ à Deo potuit abesse,
& eodem modo te discurre de virtualitati-
bus durationis seu æternitatis Dei: hoc, inquam,
non te iuuabit, Primò, quia etiam in actibus li-
beris hoc non potest sustineri, vt fusè ostendi
37 *Disputatione de Voluntate Dei*. Vnde nonnulli
qui id ibi docuerunt, postea coacti sunt retracta-
re sententiam: nam separabilitas realis est si-
gnum evidens distinctionis realis. Secundò iam
in hoc ipso iterum recurris ad aliud mysterium
nobis planè inintelligibile. Tertiò, quia si Deus
eos actus liberos in eis virtualitatibus consilient-
es singulis momentis mutaret, dicerent tibi om-
nes, & tu ipse fatereris, Deum intrinsecè muta-
tum iri; ergo idem erit de tuis virtualitatibus.

Quòd si propterea dicas, eam virtualitatem,
quæ in Deo heri fuit, hodie etiam manere, & hinc
etiam esse eandem virtualitatem Dei quæ est
Romæ, iam destruis totum tuum fundamentum
ad negandum vbi: non enim tunc magis coexis-
tam ego hodie virtualitati quæ hodiernæ
quàm hesternæ, & consequenter non magis iam
duro hodie, quàm non duro iam heri, & idem
tuo modo de vocatione hinc & Romæ dicen-
dum est.

Aduerte ergo, licet Deus per suammet essen-
tiam æquualeat infinitis durationibus & voca-
tionibus, non propterea ex parte ipsius Dei æqui-
ualentias illas esse aliquid virtualiter distinctum,
& habens capacitatem prædicatorum contradi-
ctoriorum. Sicut homo est animal & rationale,
æquualens diuersis operationibus, nihil tamen
potest ex parte ipsius hominis nec virtualiter af-
signari æquualens vni operationi, quod non æ-
quualeat alteri, sed idem in se indiuisibile & in-
capax omnino prædicatorum contradictorio-
rum, respiciens indiuisibiliter plura. Ita dico, li-
cet spatium Romanum non sit hic, hic tamen est
38 in Deo non solum realitas, sed virtualitas omnis
intrinseca, quæ respicit spatium Romanum, Hi-
spanum, &c. quod ipsum in animâ rationali, in
Angelo, & in rebus virtualiter extensis dicen-
dum est independentè à prædicatis contradicto-
riis respectu eiusdem rei. Et hoc solum voluit
P. Lessius, citatus malè pro se ab his Auctoribus,
lib. 2. de Perfectionibus diuinis cap. 2. vbi Deum
docet esse in spatiis imaginariis, de quo etiam
nobis infra redibit sermo.

Ratio à priori huius est, quia aliud est æqui-
ualere terminis distinctis, aliud verò esse capa-
cem prædicatorum contradictoriorum. Primum
solum admitto in immensitate Dei; secundum

verò nego contra hos Auctores. Vnde, vt paulò
antè dixi, nihil ex parte Dei neque virtuale existit
hodie, quod non existerit heri, aut hic quod non
existat Romæ. Hæc sufficerent pro relegandâ
solutione horum Auctorum, adhuc tamen, quia
in multis materiis eâ abutuntur, oportet amplius
eam examinare.

Secundò hos Auctores inde clarè reitico, po-
nunt enim eas virtualitates planè imperceptibi-
les, & non assignant terminum vllum in ordine
ad quem eas explicent, nec vllò prorsus modo
eas possunt explicare. Cum enim ex parte no-
strâ seu creaturarum nihil ponant in quo consi-
stat esse potius hic quàm ibi, nec aliquid alli-
gatum Romæ potius quàm Pragæ, quid quæso
habet illa virtualitas Dei quæ est Romæ, quod
non habeat quæ est Pragæ? Equiualemiam in
ordine ad diuersam substantiam non potest; nam
substantia quæ est Romæ, potest esse hic, & è con-
trario; æquiualemiam alicui modo qui sit af-
fixus spatio, non potest, quia talem modum tu
negas; æquiualemiam spatio imaginario multò
minus, quia tu spatium hoc nihil aliud dicis,
quàm ipsas virtualitates. Iam autem ego qua-
ro, qui sint termini harum virtualitatum vel
æquiualemiarum. Nec tandem potest aliquid
intrinsecum ex parte Dei poni cui æquualeat,
quia nihil est: & tam impossibile est ibi concipi-
pere eas distinctas æquiualemias, quàm si solum
Pragæ Deus esse posset: & in ordine ad hoc ego
vellem fingere eas infinitas virtualitates. In meis
principiis constituentibus vocationes distinctas
essentialiter affixas, rectè id explicari potest per
æquiualemiam his distinctis vocationibus. At
si nihil distinctum ponitur, quomodo dantur dis-
tinctæ æquiualemie? Certè ex ipsis terminis id
videtur imperceptibile.

Dices: Sunt distinctæ per se ipsas. Contrà
40 Primò, Vnde tu eam distinctionem percipis,
quandoquidem eas in se non vides, nisi dicas, te
ponere quod non intelligis, quod facile crede-
rem. Secundò, ergo eodem modo in ordine ad
idem spatium indiuisibile dicam ego, esse in-
finitas æquiualemias per se ipsas virtualiter distin-
ctas. quomodo hic assignabis disparitatem?
Tertiò sic arguuntur: Quia in ipsis virtuali-
tatibus habet locum argumentum meum è nu. 4.
nam de facto existit in rerum naturâ ea virtuali-
tas Dei, & ego, & tamen ego non sum Romæ;
ergo me esse Romæ, aliquid est distinctum ab his
duobus.

Respondebis, hoc addere, me pendere ab eâ
virtualitate. Sed, contrà, quia de hoc ipso est
quæstio. Quid est me pendere ab eâ virtualitate
& non ab aliâ? Cumque tu etiam actionem di-
stinctam neges, non potes vllò modo id explica-
re. Vide quæ dixi agens de Actione. Secundò
rogo, Vel addit mihi aliquid illa virtualitas Dei,
vel non. Si addit, illud erit modus distinctus,
de quo nos iam disputamus. Si non addit, sed
præcisè, me intacto, causæ mei conseruatiue in
se mutantur, quomodo, quæso, ego per hoc iam
curro, iam sedeo, iam sto, iam iaceo? Ponamus
v. g. eundem ignem iam à Deo solo, iam à
solo altero igne, vel iam ab igne A, iam ab igne B
produci, numquid propterea, si causæ illæ nihil
igni appingant, currerit aut saltabit ignis, aut iace-
bit? Certè si causarum varietas non dat effectui
aliquid

aliquid diuersum, planè est imperceptibile, effectum mutare locum per hoc quòd causa variantur.

41 **Quartò** : Quia cùm isti Auctores benè agnoscant, visu percipi distantiam, & percipi rem esse à sinistris & non à dextris, quod fufius probabo Disputatione iv. de Anima, à num. 63. rogo ergo, Quomodo ego visu percipio eam virtualitatem Dei quâ hic constitutor, si illa nihil in me ponit, ratione cuius ego constitutor hic magis quam ibi? Aut numquid canis leporem insequens, & iam eum hic iam ibi videns, percipit à nouâ Dei virtualitate leporem prodire, & tot Dei virtualitates immediatè intuetur, quot præsentias locales lepus mutat? Certè hinc huius responsionis absurditas clarissimè apparet. Non ergo potest negari, aliquid esse ex parte ipsius albedinis distinctum à virtualitate diuinâ, per quòd albedo hic constituitur, & quod percipio, quando video illam à dextris, & quod nosco mutari, quando illa ponitur à sinistris, vel ante me. Idem est de lepore se mouente, & ceteris aliis obiectis.

Quintò & vltimò : Quia eodem modo posset quis dicere, me esse album, nihil esse aliud, quam me produci ab vnâ virtualitate distinctâ Dei, & sic de aliis accidentibus : tam enim realiter homo est hic, quam est albus; & tam vnum noscitur visu quam alterum; & tam vnum est separabile à subiecto, quam aliud. Quam ergo disparitatem hic assignabis? Et non solum hic, sed & in totâ Philosophiâ, quam planè quis per has virtualitates fufum deorsum inquireret, & haud minus improbabilius, quam hi in præsentia discurrunt, quos iam amplius impugnare non lubet, res enim ipsa per se videtur impugnata.

SVBSECTIO QVINTA.

Aliqua dubiola declarantur.

42 **PRIMVM** est, An etiam Auctores, qui connotata admittunt, teneantur vibrationes distinguere. Nonnemo hic iterum in Connotantes inuehitur, quasi minus consequenter locutos, dum vibrationem distinctam ponunt, quandoquidem per connotatum extrinsecum posset habere subiectum intrinsecam denominationem locati hic sine vibratione intrinsecâ distinctâ Sed in simili defendi hos Auctores ab inconsequentiâ Disputatione iv. de Vnione, à num. 28. quia illi tunc admittunt denominationem intrinsecam nouam sine nouâ entitate, quando saltem extrinseca datur aliqua entitas realis noua à quâ possit ea denominatio provenire, at in præsentia nulla est à quâ possit provenire ea denominatio, ergo non loquuntur minus consequenter. Vnde respondeo, eos omnino etiam teneri in hac re nobiscum sentire.

Dices: Id dicunt in creatione sine nouâ entitate. Sed adhuc pro eis respondeo, eos ibi idè id dicere, quia res creata, & carentia generationis, non possunt etiam diuinitus sine creatione esse: at in præsentia nulla est entitas à qua non possit separari denominatio locati hic, nisi ponatur vibratio distincta. Respondeo Secundò, hinc summum fieri, eos in puncto de creatione loqui minus consequenter ad sua principia vniuersalia, non verò in puncto præsentia.

Dices rursus contra illos: Potest ea denominatio provenire ex voluntate Dei. Sed contrâ, quia voluntas Dei habet pro obiecto hanc præsentiam, non ergo est denominatio ab ea voluntate desumpta. Contrâ Secundò, quia difficultas actuum liberorum Dei non debet adduci ad omnes difficultates phylicas: & quidem in hoc non videntur hi consequenter argumentari, quia in Deo etiam admittunt ipsi nouas intrinsecas denominationes, sine nouâ entitate intrinsecâ, & tamen non inde inferunt vibrationem esse denominationem, neque intrinsecam neque extrinsecam ab actu nouo aut diuerso Dei, non ergo ex hoc capite Connotantes impugnantur.

Secundum dubium est, an vibrationis distinctio rectè probetur ex eo quòd motus localis sit vera actio realis. Ergo debet habere aliquem terminum realem, quando v.g. cutrit quis, vel successiue mouetur; sed ille terminus non potest esse nisi præsentia localis Petri, quia nec Petrus, nec spatium imaginarium & reale producit per motum Petri, ergo præsentia Petri ad locum est aliquid reale productum distinctum à Petro & loco. Respondeo, hoc argumentum esse quidem bonum, posse tamen illi adhiberi easdem solutiones quæ primo sunt adhibitæ. Vel possè dici, ibi non esse actionem veram realem, quod debet impugnari rationibus, quibus supra distinctionem actionis ostendi. Vnde hoc argumentum non puto esse nouum aliquid pro nostrâ sententiâ.

Tertiò dubitari potest in quo recipiatur vibratio. Respondeo, eam esse aliquid intrinsecum in ipsâ re locatâ, id est in Petro v.g. existente in loco. Probatur clarè, quia ea præsentia non est in ipso spatio imaginario; quòd cùm nihil sit (vt dicemus infra), non potest in se recipere eam præsentiam. Neque item est in loco reali, quia ad motum localem Petri non mouetur locus realis, sed Petrus; ergo ea præsentia non est in loco, sed in Petro. Deinde, omnino immutato loco reali, potest Petrus moueri, & è contrario moueri locus immutato Petro, ergo præsentia, quâ Petrus est in loco, non est in ipso loco, sed in Petro.

Tandem, an præsentia sit de intrinsecâ quidditate subiecti. Respondeo, non esse de intrinsecò conceptu substantiali rei. Probatur facillè, quia idem omnino Petrus manet, siue sit hic siue Romæ, ergo præsentia localis non est de illius conceptu substantiali, alioquin eâ mutata etiam Petrus substantialiter mutaretur.

SVBSECTIO SEXTA.

Obiectiones aliquæ soluta.

IAM quid contra nostram sententiam obijciant Aduersarij, videamus. Primò ergo dicunt, se qui ex nostrâ sententiâ, dari infinitos modos vibrationis in partibus materiæ. Sed in primis, qui negat tales infinitas partes vel puncta, facillè expeditur ab hac difficultate. Secundò rogo hos Auctores, cur stomachentur magis infinitas vibrationes quam infinitas partes materiæ vel quantitatis. idè videant ipsi, quo pacto sententiam Aristotelis defendant, & eo modo non timeant etiam infinitas vibrationis partes concedere.

Secundo obiciunt: Casu quo corpus ad punctum reduceretur, non posset moueri, si deberet fieri per vicationem distinctam. Probant sequelam, quia vicatio materialis non potest esse inextensa. Mirabile est aliquorum ingenium: ponunt ibi rem materialem inextensam, & postea ex materialitate probant, non posse vicationem inextensam produci. Quid enim, quæso, haberet magis vicatio materialis inextensa, quam corpus ipsum inextensum? Quod si propterea dicas, te solum inferre pro absurdo, non posse tunc illud corpus naturaliter moueri, quia vicatione materialis naturaliter debet esse extensa; si in hoc, inquam, sensu loquaris, transeat sequela; quid inde censeo, absolute consequens esse verum, quia res materialis penetrata naturaliter non potest mutare penetrationem. Si tandem loquatur de vicatione indiuisibili, quam dicat non posse ibi produci, eo quod res materialis debeat esse composita, negabo facile id repugnare, ideo poterit ab indiuisibili incipere se extendere. mihi enim non poterit facile quis persuadere, quod si punctum stupæ in fornace accensa diuinitus poneretur, non posset dari tunc actio noua indiuisibilis ibi producens formam ignis aut caloris, sed quod illud punctum posset resistere tanto igni, & de illo triumphare.

47 Sed obiciunt Tertio: Vicatio non potest subiectari in re vbicatâ, quia pro illo priori ante vicationem debet intelligi subiectum existens, imò & approximatum, approximatio enim prærequiritur ad causandum; ergo pro illo priori iam supponitur subiectum vbicatum: hoc autem est impossibile, si sit causa illius, quia effectus non est in priori causa, ergo nec vicatio est in re vbicatâ, imò nec distinguitur, cum ante vicationem distinctam iam sit subiectum vbicatum. Respondet, approximationem requiri non inter causam & effectum formaliter, quia, cum pro priori natura adhuc non sit effectus, non potest tunc esse approximatio cum illo, hæc enim est inter res existentes; solum ergo potest requiri approximatio inter causam & passum, in quo producitur effectus. Hanc autem approximationem iam habet subiectum respectu sui ante omnem vicationem; quia cum ipsum subiectum sit passum illius vicationis, iam est approximatum passio, vel, ut melius dicam, est indistans à passio, quia nihil potest à se ipso distare; ergo ad producendum in se vbi, non prærequirit aliud vbi quo 48 approximetur. Quomodo autem requiratur ut operetur in passum, vide quæ dixi supra Disputat. VII. à num. 73. vbi fusè de hac re disputauimus. Iam addo, hoc argumentum eandem vim habere contra aduersarios, quia siue ponant modum distinctum, siue non certum est dari approximationem, distantiam, &c. hæcque acquiri à nobis dum mouemur, vel ab aliis in nobis produci. Rogo ergo pro prioris natura, antequam approxime-mur, sumusne approximati? Certè id non dicent. Iam ergo videant, quomodo approximatio sit conditio ad operandum, vel quomodo sit necessaria approximatio noua. Respondendum ergo est, pro priori ante vicationem solum intelligi causas vicationis, inter quas non est ipsa vicatione, quod verum est in priori natura ad omnem effectum; sicut ante albedinem non intelligitur subiectum albu, nec cognoscens ante cognitionem.

SYBSECTIO SEPTIMA.

An ea presentia sit res, an modus.

HANC quæstionem nullus mouit, sed omnes 49 videntur supponere, eam esse modum: & liceat mihi id suspicari, id prouenit ex eo, quod explicetur per vocem verbalem *vbicatio*, quæ actuale modificationem videtur significare. Aduerto, hic eandem, quoad hoc, esse difficultatem de duratione, suppositâ eius distinctione, quam infra ostendam; est tamen hæc res non tam clara quam alij putent, ut ex dicendis constabit.

Dico ergo, probabilius esse, præsentiam localem non esse modum, sed accidens perfectum. Hæc est contra communem. Verum facile suadetur, quia non est maior ratio cur albedo, nigredo, actus videndi & amandi, sint accidentia realia, & non modi, quam cur non etiam vicatione sit accidens reale; ergo idem erit de vtriusque dicendum. Consequentia est euidentis. Antecedens probatur solutione argumentorum, quæ communiter afferri solent in contrarium.

Primum sit: Quia sicut implicat, intelligi 50 actionem, quin actu per illam producat effectus, ita etiam implicat intelligere sessionem, quin actu reddat hominem sedentem; ergo sicut actio est modus, ita & sessio. Confirmatur, quia si vbicatio, siue duratio (de qua quoad punctum præfens, ut dixi, est eadem difficultas) esset res, ergo indigeret aliâ vicatione & duratione, quæ responderet diuersis spatiis vel temporibus, & sic in infinitum. Patet sequela, quia si duratio & vbicatio esset res, de se esset indifferens ad plura tempora vel loca. Hoc est argumentum Hurtadi in primâ editione Disputatione de Duratione 17. & recentiorum communiter, quo tamen posset non sunt vti; viderunt enim, rationem modi vel rei non desumi ex ordine ad aliâ extrinsecâ quæ sunt terminus illius, sed in ordine ad subiectum; nec quia vbicatio indigeat vnione ut sit in Petro, ideo indigere aliâ vicatione ut respiciat spatium, ut in cognitione & amore manifestè constat: ut enim respiciant obiectum, non indigent aliquo superaddito, egent tamen vnione ut afficiant subiectum.

Ad argumentum ergo, nego Antecedens, actio enim ideo est modus, quia si non esset, daretur processus in infinitum, iuxta dicta supra, cum de illâ ageremus. At etiam si sessio non sit modus, non sequitur processus in infinitum, solum enim inferitur, debere vniri cum subiecto per vnionem à se distinctam, sicut albedo vnitur vnione distinctâ à Petro. Pro cuius perfectioni notitiâ aduerte, vicationem vel posse comparari respectu spatij imaginarij, cui reddit præfens suum subiectum; & ut sic ipsa essentialiter est affixa tali spatio, id est non potest, nec de potentia absoluta, existere in rerum natura, & non existere in hoc spatio imaginario. Quod si ad hoc 51 requireretur aliâ vbicatio, vel aliud vbi, daretur processus in infinitum. Verum, si comparatur cum subiecto quod reddit præfens, non est essentialiter illi affixa, ideoque rectè potest esse in rerum naturâ sine hoc subiecto in particulari, aut sine vilo, saltè de potentia absoluta; ideoque

ut sit in hoc subiecto requirit vnionem à se distinctam, quo sistit processus infinitus, ut in cognitione paulò antè ostendi. Nec video, cur, sicut potest intelligi visio Petri, quâ videt parietem, sine ipso Petro existente, saltem de potentiâ absoluta, etiam non posset intelligi vbicatio, quâ Petrus redditur præsens huic spatio sine ipso Petro, saltem de potentiâ absoluta. Vbi aduerte, in eo casu non reddendum Petrum hic vbicatum, quia vbicatio non est illi vnita; sicut, si ponatur cognitio sine Petro, non reddit illum cognoscens rem, quia ad hoc requiritur vnio Petri cum cognitione, tam ergo vbicatio, quam cognitio aut albedo, &c. erit accidens perfectum reale. Idem confirmabitur infra, dum ostenderimus, vbicationem in suo conceptu esse tam absolutam, ac albedinem & nigredinem. Hæc sententia valde dupliciter recentioribus: cumque hoc exemplum, à cognitione & amore desumptum, clarum pro me videretur, responderunt, se potius velle dicere, cognitionem esse modum, quam admittere vbicationem esse rem. Sed gaudeo, eos vidisse exemplum esse efficax. Addunt verò, discrimen esse, quod actus vitales sunt operatiui more absolutorum, quod non habet vbicatio. Sed quæso, in sententiâ horum, quid operatur quantitas distincta? & tamen est accidens reale, ergo. Secundo addunt, actus vitales esse accidentia inter omnia præstantissima. Sed contrâ, quia ex hoc non desumitur ratio accidentis, nam ex hoc capite ego dicerem imperfectiorem esse qualitatem scitidam, quam Angeli vbicationem; nec ratio modi vel accidentis realis debet desumi per eam perfectionem, sed aliunde ex separabilitate. Tertio dicunt, cognitionem conuenire cum perfectione entium non viuentium in ratione entis absoluti sed in hoc petitur principium, quia de hoc ego dubito, cur illa magis conueniat cum talibus entibus, quam ipsa vbicatio. Deinde ratione vitalitatis id non habet, quia actio ipsamet vitalis non conuenit cum entibus non viuentibus in ratione absoluti, ergo hæc differentia non est ad rem.

Secundum argumentum contra nos sit: Quia aliqui modi habent proprias vbicationes (ut dicam infra Sectione 5.) sed accidens non potest subiectari in modo, ergo vbicatio non est accidens, sed modus. Probo Minorem. quia sicut repugnat, accidens esse subiectum substantiæ, ita repugnat, modum esse subiectum accidentis. Respondeo facile, negando Minorem. Sicut enim materia potest recipere formam equi, quæ multò est perfectior quam ipsa materia, cur etiam non poterit modus in se recipere accidens reale, etiam si hoc sit perfectius illo? Pro quo aduerte, ne terrearis voce *accidentis & modi*, modum esse qui non potest separari à subiecto, accidens verò quod potest. Hæc est tota eorum differentia. Quæ ergo repugnantia est in eo, quod vna res, quæ non potest v. g. à materiâ separari, recipiat in se aliquam quæ ab ipsâ possit separari? Ego nec leuem video in hoc contradictionem. Deinde, modus non semper est imperfectior accidenti, quia potest excessus in maiori dependentiâ à subiecto aliunde compensari, ut patet in substantiâ, quæ etiam si sit modus in communi sententiâ, est perfectior albedine. Ad exemplum de substantiâ respondeo, non ideo substantiam non

posse recipi in accidente, quia sit perfectior illo, ut patet in materiâ recipiente formam substantialem, quæ perfectior est quam materia (quod miror non fuisse ab his consideratum) sed quia subiectum antecedens substantiam necessario debet esse de primo conceptu rei, & consequenter debet esse substantia: ideoque Disputatione 11. Sectione 2. probaui, non posse materiam recipere formam substantialem mediâ potentiâ accidentali, quia ex vnâ parte fieret compositum per accidens. supponis enim, eam potentiam esse accidentalem, aliunde autem, si forma, quæ recipitur, est de primo conceptu rei, ideoque substantia, necessum est ipsam potentiam per se præcedentem substantiam illam, esse etiam substantialem. At ex eo, quod vna res essentialiter affixa subiecto (quæ eo ipso est modus) in se recipiat aliam non ita affixam, quod vel leue sequitur inconueniens, aut quæ contradictio? Potest ergo modus in se recipere accidens reale.

Aduerte, actionem, quâ producitur ipsum Vbi, item vnionem illius cum subiecto, non egere vbicatione à se distinctâ, quia cum essentialiter sint affixæ huic vbicationi quam vniant & producant, non egent aliâ vbicatione quâ loco coexistant; sicut actio in communi (idem est de vnione) ut respiciat hunc terminum, non requirit aliquid à se ipsâ distinctum.

Videamus iam, quid specialius recentiores alij contra hanc opinionem obiciant. Primò dicunt, meo argumento nimium probari: quia posset eadem ratione dici, actionem non esse modum, sed per suammet essentiam respicere hunc numero effectum, etiam si respiciat causam per actionem aliam à se distinctam, quo sistit totus processus in infinitum. Sed vrgeor illos: ipsi ita discurrunt in cognitione & amore, cur ergo non in actione & passione. Deinde respondeo, negando consequentiam, quia actionis non datur actio, nec vnionis vnio, nec albedo albedinis: at vnio albedinis, vnio cognitionis, vnio vbicationis, cur non dabitur? Quod si ex vnione distinctâ vbicationis id inferant contra me, cur non inferant idem ex vnione albedinis, odoris, quantitatis? &c. Disparitas in his esse potest, quia illa secunda actio, quam in eo casu ponunt, per suammet essentiam respicere deberet non solum hoc numero agens (ut ipsi dicunt) sed essentialiter etiam hunc numero effectum, aliàs posset esse actio in rerum naturâ sine effectu, quia nullum terminum per te essentialiter respicit, sed solam causam, hoc autem est absurdum ex terminis. Si verò illa prima actio non est (ut tu vis) modus causæ, ergo ut procedat ab hac causâ, debet habere aliam secundam actionem. Hæc autem secunda actio essentialiter deberet respicere & causam hanc, & hunc effectum, aliàs daretur processus in infinitum. Si autem hæc secunda actio per se est ab hoc agente ad hunc effectum, quid erat necessum alteram priorem actionem ponere? iam enim datur vna respiciens vtrumque. Ideo ergo repugnant ibi actio actionis. At ex eo, quod datur vnio distincta ad vbicationem, nec datur vnio vnionis, nec vbicatio vbicationis, nec aliquid superfluum, magis quam in vnione albedinis, caloris, gratiæ, &c. idem clarè confirmo ex doctrinâ horum, aientium, formam in eo genere in quo est forma, non accipere denominationem ab aliâ;

aliā; ergo cum actio sit forma in genere actionis, non potest in hoc genere id ab aliā accipere. At vbiatio non est forma in genere vnionis, sed in genere respiciendi hoc spatium; ergo licet in hoc genere id non possit habere per aliam vbiationem distinctam, poterit tamen in genere vnionis vnionem habere distinctam, vt in exemplo amoris & cognitionis manifestè constat.

Secundo obiciunt: Non debemus admittere in rebus nisi minimam distinctionem quam possumus, & eam solam quæ necessaria est ad explicandam difficultatem, alias multiplicarem entitates sine necessitate, quod est contra commune axioma: at pro præsentī difficultate solum requiritur distinctio modalis, ergo sola illa ponenda est. Sed neque hoc argumentum vrget, tum, quia habet instantiam in aliis accidentibus v. g. albedine, nigredine, &c. quæ enim necessitas est distinguendi talia plus quam modaliter? & tamen eā distinguis.

Dices: Video hæc accidentia diuinitus separari in Venerabili Sacramento. Sed contra Primò, quia hanc solutionem non possunt dare, qui ea accidentia collocant in quantitate; tunc enim illa accidentia manent in subiecto proprio, non secus ac manet in quantitate eius vbiatio, quam tu dicis modum; ergo ex eo mysterio de solā quantitate potest probari quòd non sit modus, non verò de albedine, sapore, &c. Contra Secundò, nam licet id verum sit in his accidentibus, quia à Fide id inferimus; cur id dices de potentiis, de habitibus, de gratiā, & istis de quibus nullam habes rationem vel experientiam, quòd possint diuinitus conseruari sine subiecto?

Respondebis: Id infero à paritate rationis ex aliis, quæ in Eucharistiā separantur. Benè, sit ita; sed cur non permittes & mihi, vt ego etiam à paritate rationis hoc idem dicam de vbiatione?

Dices fortè, Quia habitus potentie, gratiæ, &c. sunt accidentia, vbiatio verò non. O quam benè respondes per conclusionem! Hæc est tota quæstio, cur gratia possit diuinitus separari à subiecto, seu cur sit accidens reale (quod idem est) non verò id habeat vbiatio. Tu respondes, quia gratia est accidens, vbiatio non.

Abolutè autem argumento respondeo, etiam esse aliud principium quod videtur illi quasi contrarium; nempe, quando duo realiter distinguuntur, posse à Deo vnum ab altero separari, si non inde sequantur duo contradictoria, quæ in præsentī nullatenus videntur sequi: ergo possunt separari mutuo, ergo est accidens, non verò modus. Neque hoc est multiplicare entitates sine necessitate: nam supposito quòd vbiatio sit accidens, vnio postea non ponitur sine necessitate; vt verò vbiatio sit res, satis est commune argumentū, quia omnes formæ distinctæ (nisi aliunde probetur eas esse modos) per se habent quòd sint res, & id ex aliis accidentibus etiam vbiatione imperfectioribus facillè à simili probatur.

Dices Tertio: Non repugnat vna vbiatio quæ sit modus, ergo talis est quæ de facto datur. Sed contra, non repugnat vna cognitio quæ sit modus, vna potentia quæ sit modus, ergo talis est quæ de facto datur. Videas qualis sit consequentia. Respondeo ergo, quia modus non potest nec diuinitus separari à subiecto, accidens verò reale potest, ideo eo ipso quòd duo distinguimus inter

se, ne negemus omnipotentia diuinæ potentiam ad ea separanda, debemus dicere, ea non vt modum sed vt rem distingui, nisi vrgeat aliqua alia ratio; quidquid sit, an in ordine ad potentiam absolutam possit dari aliqua alia res eiusdem rationis quæ sit modus. Et hic est modus discurrendi, & ratio vniuersalis pro aliis accidentibus, quæ eodem modo habet locum in vbiatione; quandoquidem, vt euidenter ostendi, nulla est ratio magis probans eam esse modum, quam in aliis accidentibus.

Difficilius posset obici, Videri sequi ex nostrā sententiā processum in infinitum; nam vbiatio est res, ergo habet durationem distinctam, quia in meā sententiā duratio est distincta à re durante: rursus ea duratio habet vbiationem, & hæc vbiatio aliam durationem, & sic in infinitum.

Quòd si dicas, eandem esse difficultatem etiam si vbiatio sit modus, quia etiam tunc vbiatio debet habere durationem, & hæc aliam vbiationem, & sic in infinitum; facillè tibi huic instantie respondebunt, negando consequentiam, quia duratio vbiationis, eo ipso quòd sit modus, non potest vt existat in loco per aliam vbiationem, sed per eam cui essentialiter est affixa, constituitur in loco; sicut è contrario vbiatio durationis per ipsammet durationem cui affixa est, durat in hoc tempore. At si vbiatio sit res perfecta, tunc licet recipiatur in duratione, non durat per eam, quia non est illi affixa. Sed respondeo, etiam in nostrā sententiā, licet vbiatio non sit affixa durationi, & ex hac parte à duratione solā non accipiat effectum formalem durantis, per vnionem tamen intermediam quæ non potest separari ab vtroque, vtramque sibi communicare suum effectum, & durationem vbiationi, & vbiationem durationi. idem enim faciunt in meā sententiā per vnionem mediam (in quā cessat totus processum in infinitum) quod in contrariā sententiā fieret sine eā vnione, sed immediate per ipsas entitates.

Quòd si vrgeas, Cur ergo magis duratio erit subiectum vbiationis, quam è contrario, quandoquidem æquè sibi communicant effectum suum formalem mutuo? Respondeo, præstò esse rationem, in homine v. g. esse durationem, quā durat hodie; ista habet vbiationem distinctam: item est in homine vbiatio in hoc loco, ista vbiatio habet suam durationem distinctam, sicut in tuā sententiā mea vbiatio habet supra se durationem quæ est modus, & duratio habet vbiationem quæ etiam est modus. Idem dico ego, sed eas non facio modos, sed rem: ergo & duratio Petri habet suam vbiationem, & vbiatio eiusdem Petri habet suam durationem, quod cessat totus processum, & contentantur partes. Fateor, duratio vbiationis est diuersa à duratione hominis, quia hæc est accidens respiciens per se substantiam vt subiectum, illa verò per se respiciens accidens vt subiectū, quod habet ex naturā suā; sicut etiam in tuā sententiā duratio hominis est modus per se respiciens hominem tantquam subiectum, duratio verò humanæ vbiationis est modus respiciens alium modum.

Aliter posset toti argumento responderi, accidentia subiecti non habere aliam durationem ab eā quæ est propria subiecti. idem est de vbiatione respectu durationis, vnde nec duratio habet

aliam

aliā vicationem, nec viciatio humana aliā durationem. Sed hac solutio nititur doctrinæ incertæ, de quā infra.

Hæc dicta sufficiunt, ad ostendendum, nostram Conclusionem multo esse probabiliorem, etiam si non sit ita communis. Nam in istis rebus purè Philosophicis oportet magis considerare rationes & consequentiam discursus, quàm aliorum Philosophorum placita.

SECTIO III.

Quid sit spatium imaginarium, in ordine ad quod explicamus vicationes.

61 **V**ARIÆ fuere in hac re sententiæ, quæ longè à veritate aberrarunt. Eas omnes breuiter ex dicendis reiciis, & quid sit hoc spatium intelliges. Aduerto autem, totam hanc doctrinam, quam in hac Sectione tradam, esse communem inter recentiores nostræ Societatis, accuratius rem hanc examinantes.

Primo ergo dicendum est, spatium imaginarium non esse aliquid reale. Probat, quia hoc spatium fuit ab æterno, & modò intelligitur esse extra cælum empyreum: ab æterno autem nihil reale fuit productum, nec modò est extra cælum empyreum. Præterea, etiam hic datur spatium imaginarium; hoc autem non est corpus aliquod reale, quia omnia illa corpora sunt præsentia ipsi spatio imaginario, ultra illa autem corpora nihil est hic reale, ergo spatium imaginarium non est aliquid reale.

Secundo dicendum est, neque esse negationem ipsorum corporum, quia negatio non coheret cum formâ quam negat, spatium autem imaginarium non destruitur per existentiam corporum in illo.

Tertio, neque item esse ipsas vicationes possibiles, quia vicationes explicamus in ordine ad illud spatium, ergo illud non est vicationes, quia nihil explicatur in ordine ad se.

62 **Q**uarto, neque hoc spatium esse, capacitatem aliquam recipiendi vicationem, quia vel hæc capacitas est aliquid reale, quod ex dictis reiectum est, vel est aliquid negatiuum, & hoc etiam esse non potest, vt ostendimus; ergo non est capacitas aliqua, quæ verè à parte rei datur ante omnem operationem intellectus. Concludendum ergo, hoc spatium imaginarium esse purum ens rationis fictum ab intellectu, ex similitudine cum spatio reali; per species enim aëris fingit intellectus nosse alium, quasi aërem fixum omnino & immobilem, etiam in ordine ad potentiam absolutam, & capacem vt in ipso existant omnes res: & sicut in ordine ad locum realem metimur distantiam vnius corporis ab alio, ita in ordine ad illud spatium metimur distantiam vicationum & corporum realium; hoc autem spatium concipimus etiam existisse ab æterno, & existere extra cælum empyreum, quia extra hoc possunt etiam 64 existere corpora realia. Ideo autem spatium hoc fingitur à nostro intellectu, quia cum non cognoscimus determinatè differentiam & dissimilitudinem vicationum inter se, non possumus habere aliquam certam regulam, quâ eas distinguamus, nisi concipiendo illud spatium quasi aliquid reale & fixum, vt ibi & palmas, & vinas,

& stadia, & milliaria concipiamus, in re autem verè nihil est.

Et hinc infero, quod supra insinuavi, vicationes in re esse tam absolutas, ac albedinem vel nigredinem; nos autem, quia non possumus nominibus propriis illas distinguere, distinguimus in ordine ad locum illum imaginarium, dicimusque, de essentia huius vicationis esse, existere hic, & de essentia illius, illic: quod in re nihil est aliud, quàm dicere, de essentia huius vicationis esse fundare tantam vel tantam distantiam, sicut albedo à seipsa habet constituere album, & non nigrum, neque dulce, sine villo respectu ad connotata diuersa; ita hæc viciatio ipsa habet constituere hominem taliter præsentem, & non alio modo, quod vocamus esse hic. Rursus, sicut albedo non est indifferens vt sit nigredo, aut è contrario; ita viciatio, quæ facit præsentem hominem hic, non est indifferens vt illum faciat ibi præsentem, quod habet ex sua essentia. A nobis autem explicatur, vt dixi, per relationem ad spatium imaginarium. Hanc doctrinam obserua pro his quæ Disputatione xv. de tempore imaginario dicemus.

Sed contrà occurrit hæc obiectio, quæ non facile soluitur: Si viciatio non respicit spatium, sed est quadam res absoluta, sicut albedo, cur ergo duo corpora non possunt simul esse in eodem loco? hoc enim nihil aliud est, quàm quod illa simul haberent duas vicationes absolutas. Quid autem obest quod Petrus habeat albedinem ad hoc vt Ioannes non possit aliam similem habere? cur ergo, quia Petrus habeat hanc vicationem, non poterit Ioannes aliam similem habere, si nullum est tertium à quo mutuo se expellant? ibi enim nec subiecta sunt eadem, nec spatium, quia hoc nihil est, vt dixi. Cur ergo habebunt contrarietatem? Respondeo, eas duas vicationes materiales esse tales, vt vna petat naturaliter ne alia existat, etiam si non habeant commune subiectum, à quo se expellant, aut locum realem cui sint præsentis: id autem provenire ex naturis illarum, sicut ex naturâ caloris provenit vt expellat ex eo subiecto frigus, non autem lucem. Vnde inferes, posse esse duarum rerum contrarietatem seu repugnantiam sine communi subiecto.

SECTIO IV.

Utrum res creata possit existere sine omni vicatione, & an Deus sit in spatio imaginario.

66 **S**UAZ lib. 4. de Angelis cap. 3. fusè probat, nullam rem creatam, neque ipsum Deum, posse absolui ab omni vbi. Rationem à priori reddit, quia realis præsentia intinsecè comitatur realem entitatem; iuxta cuiuslibet propriam capacitatem: Deus enim, quia per suammet substantiam immensus est, per eandem vbiq; existit, aliæ verò res per præsentias distinctas. Hæc ratio non vrget aduersarios, qui dicunt, Deum ante mundi creationem nullibi fuisse, nec iam esse extra cælum empyreum; vnde negant, præsentiam localem consequi ad essentiam Dei, & idem dicunt in aliis rebus, saltem diuinis. Addit Suarez: Demus Angelum creati ante mundum, & hunc